



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Nucleus Practici Tractatus, De Legibus**

**Marchius, Ewald**

**Coloniæ Agrippinæ, 1660 [erschienen] 1661**

Cap. IV. Quid sit Lex æterna? & an omnibus nota omnisque Lex ab ea derivetur? ac omnia necessaria & æterna, uti & naturalia contingentia. & omnes res humanæ illi subjiciantur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42256**

Hinc etiam LEX debet quædam permittere. Unde in quibusdam locis tolerantur lupanaria, & usuræ, ut vitentur adulteria Furta & Rapinæ, Expilationes, & similia majora mala. Denique quia LEX frustra esset, nisi illi obtemperaretur, propterea accedit quartus actus, qui est punire, quatenus timore pœnæ, quam LEGES statuunt, multi inducantur, ad LEGUM observantiam, juxta illud oderunt peccare Mali, formidine pœnæ.

## C A P U T IV.

*Quid sit LEX æterna? & an omnibus nota? omnique LEX ab ea derivetur? Ac omnia necessaria & æterna, uti & naturalia contingentia, & omnes res humana illi subjiciantur?*

**L**EX Æterna nihil est aliud, quam ratio Divina Sapientia, secundum quod est directiva omnium motuum & actionum Creaturarum. Ita S. Thomas 1. 2. q. 93. art. 1. Declaratur: Sicuti enim in mente Artificis, præexistit Idæa sive Exemplar eorum, quæ exacte facere intendit; ita necesse est, ut in mente cujusque Rectoris (ut bene gubernet) reluceat ordo, juxta quem debeant omnia operari, & sese habere, quæ ejus gubernantur.



bernationi subsunt. Ordo autem ille, est LEX quædam & Regula, unde, quia existit in mente Divina, merito vocatur LEX Æterna, quia ille æternus est, sicut mens Divina est æterna.

Differt autem ab Idæa Divina; quia hæc est exemplar rerum faciendarum: LEX autem Æterna, est ordo rerum gubernandarum, cum voluntate astringendi, ad illum operandi modum.

Differt etiam, à Divina Providentia, quia hæc respicit res singulas in particulari, ita, ut nihil omnino, in hac, amplissima, totius creaturæ veluti Republica fiat, quod non à summo illo Imperatore Deo, per suam providentiam, in particulari, sit decretum vel permissum, ut sit autem LEX Æterna, non respicit res singulares, singulas in particulari: non enim, circa singulos Homines, sunt diversæ LEGES æternæ, sicut sunt, circa singulos, diversi modi Divinæ Providentiæ, sed respicit singulas rerum species. Unde, una communi LEGE Æterna, gubernatur totum genus humanum, sicuti est una LEX Naturalis, communis in omnibus hominibus.

LEGEM Æternam, nullus potest cognoscere, prout in se ipsa est, nisi DEUS & Beati,



Beati, qui vident DEUM per essentiam; sed omnis natura rationalis, eam cognoscit, secundum aliquam ejus irradiationem, quam quidam plus, quidam minus participant. Ita S. Thomas hic art. 2. Prior pars per se evidens est; quia à parte rei, non distinguitur ab ipsa Dei essentia. Unde, sicuti solus DEUS & Beati, cognoscunt Divinam Essentiam, ut in se ipsa est, ita quoque hi soli, cognoscunt Æternam LEGEM, ut in se ipsa est. Posterior pars probatur: quia omnis creatura rationalis, habet impressam LEGEM naturæ, quæ est quædam participatio, LEGIS Æternæ: Immo omnis cognitio veritatis circa res agendas, est quædam hujus LEGIS irradiatio; atque omnes, habent aliqualem cognitionem veritatis, ad minus, quantum ad principia communia, & prima LEGIS Naturalis, ut, quod mala sint vitanda, & honesta procuranda: nam signatum est super nos lumen vultus ejus, ut dicitur psalmo 4. Ergo, &c.

Omniem LEGEM iustam ab Æterna derivari docet hic S. Thomas. q. 93. art. 3. & S. Augustinus de lib. arbitr. libro I. cap. 6. dum ait: In temporali LEGE nihil est justum & legitimum, quod non ex LEGE Æterna derivetur.

Hæc



Hæc vero, non est per seipsam, nota Homi-  
nibus, in hac vita; sed vel in aliis LEGI-  
BUS, vel per illas, quia sicut causæ secundæ  
offendunt primam, & Creaturæ Creatorem;  
ita LEGES temporales, quæ participationes  
sunt, LEGIS æternæ, ostendunt fontem, &  
quo manant. Ita Suarez lib. 2. de LEGIBUS.  
cap. 4.

Huic LEGI Æternæ, subjiciuntur omnia  
necessaria, in rebus creatis; non autem ne-  
cessaria, quæ pertinent, ad naturam vel essen-  
tiam Divinam. Hæc enim sunt realiter, ipsa  
Dei essentia, & LEX ÆTERNA. Ita S. Tho-  
mas hic art. 4. Nam quæcunque subjiciuntur  
Divinæ gubernationi, subjiciuntur LEGI  
ÆTERNÆ; atque omnia, quæ DEUS creavit,  
sunt sub ejus gubernatione; Ergo &c.

Huic etiam LEGI, subjiciuntur Natura-  
lia contingentia, quia hæc omnia, habent na-  
turales motus suos, virtute Imperii, per DEI  
verba impressi, quando in sua Creatione,  
virtutes, & facultates naturales acceperunt.  
Aliquando etiam, faciunt verbum ejus, se-  
cundum specialem aliquam Dei ordinatio-  
nem, ut, quando concurrunt modo quodam  
extraordinario, ad vindictam Peccatorum, ut  
quando Mundus periit per diluvium; & pro-  
ut dicitur Sap. 5. cap. Et pugnabit pro eo Or-  
bis terrarum contra Insensatos. Si-



Similiter; illi subjiciuntur, omnes Res Humanæ, Ita S. Thomas hic q. 93 art. 6. Et quidem, irrationales Creaturæ, per modum actionis & passionis, in quantum participant, per modum interioris principii motivi, quo ad generationem, nutritionem, accretionem &c.

Creaturæ vero rationales, illi subsunt, eamque participant per cognitionem ipsius LEGIS, quatenus mediante lumine rationis, aut per Divini verbi Præcones, agnoscunt Dei voluntatem, & Mandatum, secundum quæ vitam & actiones liberas, instituere & formare debeant.

## C A P U T V.

De Jure vel LEGE naturali.

*Quid sit LEX naturalis? Et an eius præcepta sint plura, vel unum? Et an sit una apud omnes?*

**L**EX NATURALIS est quadam participatio LEGIS aeternæ in rationali Creatura, qua bonum & malum discernit. Ita S. Thomas, I. 2. q. 91. art. 2. Sive est dictamen & iudicium nostræ rationis, quo per lumen, nobis ab aeterna LEGE impressum, aliqua esse bona, seu natura nostra consentanea, certo cognoscentes,

sta-